

MATRIMONII FORMA EXTRAORDINARIA **(c. 1116)**

His ultimis annis pauca potius scripta sunt de matrimonii forma extraordinaria. Aliqui opinantur auctores hanc formam amisisse momentum cum praevio voto favorabili Episcoporum conferentiae et obtenta licentia Sanctae Sedis laicos delegare possit Episcopus dioecesanus ubi desint sacerdotes et diaconi (c. 1112, § 1). Praeterea, locorum distantia saepe non iam ponitur gravis difficultas, cum autoraeda utens ubique facili modo pervenit assistens.

His non obstantibus, formam extraordinariam non videtur pro nihilo esse ducendam, cum varias ob rationes multi catholici matrimonium in Ecclesia non celebrent.

Crescit in dies numerus eorum qui libere conviunt vel tantum civiliter coniuncti. Insuper: partes catholicae qui consensum praestiterunt tantum coram magistratu civili, facili modo obtinent permissum novum matrimonium contrahendi. Sunt qui matrimonium in Ecclesia non celebrent, ut certa incommoda evitentur. Inter eos sunt v. gr. qui in Ecclesia matrimonium non contrahunt, cum auctoritas aliquarum nationum hoc tantum permittit si praecedat matrimonium civile, quod inire nolunt ne perdant pensiones vel alia emolumenta. Lege civili assistens minatur poenis gravibus. Auctores concordant in quibusdam rerum condicionibus matrimonium civile requisitis canonis 1116 de forma extraordinaria respondere. Aliquibus in casibus consideratur civile connubium

verum matrimonium forma extraordinaria contractum. Quibus sub condicionibus licet partibus forma extraordinaria contrahere?

1. Forma extraordinaria et matrimonium civile

Matrimonium civiliter contractum a personis forma canonica ligatis est nullum. Non simpliciter ut matrimonium invalidum ob defectum formae consideratur in codice civile connubium. Hoc patet responso pontificiae commissionis anno 1984 dato¹. In codice matrimonium civile consideratur tantummodo uti factum iuridicum de quo effectus civiles (c. 1686) et effectus canonici negativi derivari possunt, uti sunt irregularitas (c. 1041, no. 3) vel poena latae sententiae suspensionis (c. 1394, § 1)². Sunt qui opinentur coniugium civile matrimonium *inexistens* esse si contrahentes formam illam servare deberent³. Quae sententia aliquomodo roboratur responso citato secun-

¹ PONT. COMMISSIO CIC AUTHENTICE INTERPRETANDO, *Responsa* 11 iulii 1984, in AAS 76 (1984) 747: «Utrum ad comprobandum statum liberum eorum qui, etsi ad canonicam formam adstricti, matrimonium attentarunt coram civili officiali aut ministro acatholico, necessario requiratur processus documentalis de quo in can. 1686, an sufficiat investigatio praematrimonialis ad normam cann. 1066-1067. Resp. Negative ad primum; affirmative ad secundum».

² Videas K. BOCCAFOLEA, *Gli impedimenti relativi ai vincoli etico-giuridici tra le persone: affinitas, consaguinitas, publica honestas, cognatio legalis*, in AA.VV., *Gli impedimenti al matrimonio canonico* (Città del Vaticano 1989) 203-217, nom. pp. 213-215.

³ Conspectum opinionum de hac re videas in una c. FUNGHINI, 30 iunii 1988, in *Monitor Ecclesiasticus* 114 (1989) 309-319 (summarium huius sententiae in F. DELLA ROCCA, *Diritto matrimoniale canonico*, terzo volume di aggiornamento (Padova 1992) nr. 132).

dum quod processus documentalis non iam exigitur si constet contrahentes hanc formam haud servasse. E contra consensus vere matrimonialis praesumitur perseverare etsi matrimonium invalidum fuerit ratione defectus formae (c. 1107), coniugiumque potest convalidari sine consensus renovatione (c. 1163, § 1). Matrimonium coram magistratu civili initum, in radice sanari potest (c. 1163, § 1; cf. cc. 1100; 1107; CIC '17 c. 1139, § 1). Matrimonium civile aliquando est forma publica qua matrimonium celebratur eorum quibus forma canonica servanda est quique ab ea sunt dispensati (c. 1127, § 2). Immo, certis in rerum condicionibus, valet civilis contractus christifidelium ut forma extraordinaria. Sufficit si res ita se habeat ut forma extraordinaria contrahere possint nupturientes. Ecclesia ergo in sua navitate pastoralis et administrativa in matrimonio civili invenire potest elementa naturalia quae sufficere possunt certis in casibus.

Summus Pontifex Ioannes Paulus II in Adhortatione apostolica *Familiaris consortio* 82 de catholicis qui civiliter tantum matrimonium contraxerunt, scripsit:

«Eorum autem status aequari simpliciter non potest conditioni conviventium nullo vinculo iunctorum, cum apud eos saltem certum quoddam officium reperiatur definitum et verisimiliter stabilem vitae cursum tenendi, quamvis hac in re saepe et praevideatur facultas divortii fortasse faciendi. Cum coniuges velint ut a Civitate vinculum publice agnoscatur, demonstrant paratos se esse una cum commodis etiam obligationes suscipere»⁴.

Qua de re matrimonium civile eorum qui forma

⁴ AAS 74 (1982) 183.

canonica sunt ligati videtur potius iuridice inefficax⁵. Expressio «matrimonium inexistent» videtur infelix.

Multi sunt, ut scripsimus, qui tantum contrahunt matrimonium civile, varias ob rationes. Penuria accrescit clericorum, multique christifideles in «dispersione» vivunt. Qua de causa quaestio saepius oritur num matrimonium civiliter contractum valere dicendum sit, num condiciones adimpleantur quas enumerat canon 1116 ut forma extraordinaria adhiberi possit, necne. In forma extraordinaria matrimonium contrahatur coram solis testibus, nec requiritur praesentia assistantis vel clericis. Quae cum ita sint, criteria consideremus quibus adhiberi potest haec extraordinaria forma.

2. Ius matrimonii contrahendi ac obligatio formae canonicae servandae.

Matrimonium forma canonica contrahitur coram loci Ordinario aut parocho aut sacerdote vel diacono ab alterutro delegato qui assistant, necnon coram duobus testibus (c. 1108, § 1), quae forma ordinaria vocatur ab auctoribus.

Matrimonii forma, lege canonica praescripta, est lex mere ecclesiastica. Iure divino ut validum sit matrimonium condiciones requiruntur, quas indicat canon 1057: personae habiles praestent oportet consensum vere matrimonialem.

Contrahens habilis sit illum actum voluntatis eliciendi quo matrimonium constituatur, impedimentis iuris divini non sit detentus atque matrimonialium

⁵ C. FUNGHINI, sent. cit., in F. DELLA ROCCA, *Diritto matrimoniale canonico* (cf. nt. 3), 303.

onerum assumendi sit capax. Consensum, ad matrimonii saltem essentiam directum neque connubii essentialia proprietates excludentem, praestet, quem nemo supplere potest.

Ius naturae matrimonium contrahendi uniuscuiusque est personae, quae capax est contrahendi nec libere hoc ius renuntiavit, v.gr. Deo se vovens voto castitatis. Qua de causa loci Ordinatio facultas non est nisi ad tempus, gravi de causa eaque perdurante, quin matrimonium impediat (c. 1077, § 1). Ius naturae praevalet obligationi iuris mere ecclesiastici. Aliquibus in rerum condicionibus obligatio formam matrimonii canonicam ordinariam servandi hac de re suspenditur.

Ut ius naturale matrimonium contrahendi in tutum collocetur, matrimonii formae ordinariae seu substantialis obligatio aliquando suspenditur, ita ut sive forma sufficiat extraordinaria sive nulla forma requiratur.

3. Quid requiritur «ad validitatem» ut forma extraordinaria adhiberi possit?

In canone 1116, § 1 legitur:

«Si haberi vel adiri nequeat sine gravi incommodo assistens ad normam iuris competens, qui intendunt verum matrimonium inire, illud valide ac licite coram solis testibus contrahere possunt:

1. in mortis periculo;
2. extra mortis periculum, dummodo prudenter praevideatur earum rerum condicionem esse per mensem duraturam».

In paragrapho 2 additur ad liceitatem sacerdotem vel diaconum esse advocandum, si possibile sit:

«In utroque casu, si praesto sit alius sacerdos vel

diaconus qui adesse possit, vocari et una cum testibus, matrimonii celebrationi adesse debet, salva coniugii validitate coram solis testibus»⁶.

Canon 1116 non mutat sensum canonis 1098 veteris codicis, qui eandem tractat materiam⁷.

a. *Grave incommodum*

In canone 1116 praevidetur rerum condicio in qua nullus assistens, nec parochus, nec clericus vel laicus rite delegatus, haberi vel adiri queat sine gravi incommodo, quod immineat sive parochi vel Ordinario vel sacerdoti delegato sive alterutri matrimonium contrahenti⁸. Quod incommodum est obiectivum. Gravitas istius incommodi sit absoluta, i.e. cuilibet personae, vel relativa, i.e. saltem alterutro contrahentium vel assistenti, exempli gratia ratione infirmitatis, locorum distantiae, paupertatis, persecutionis et ita porro⁹. Auctores addunt hoc grave incommodum urgere posse etiam sive tertiam aliquam personam sive bonum commune et referri posse ad vitam, ad sanitatem, ad libertatem, ad famam, ad possessionem bonorum temporalium¹⁰. Grave censetur incommo-

⁶ Cf. CCEO, c. 832.

⁷ «... praeplacuit canonem 1098, quod ad substantiam attinet immutatum relinquere» (*Communicationes* 3, 1971, 80).

⁸ PONT. COMMISSIO CIC AUTHENTICE INTERPRETANDO, *Responsum* 3 maii 1945, in *AAS* 37 (1945) 149; *Responsa* ante codicis vigentis promulgationem data, retinent valorem interpretativam, c. 6, § 2; cf. *Communicationes* 10 (1978) 94; 15 (1983) 237.

⁹ C. MASALA, 14 dec. 1982, in APOSTOLICUM ROTAE ROMANAE TRIBUNAL, *Decisiones seu sententiae* 74 (1982), Libreria Editrice Vaticana, 1987 (= DSRR) 628.

¹⁰ P. FELICI, *De forma matrimonii extraordinaria*, in P. PALAZZINI (ed.), *Casus conscientiae*, vol. I De matrimonio (Ro-

dum quod exoritur vetito civilis auctoritatis etiam sub poena prohibenti matrimonium coram Ecclesia celebratum, nisi praecesserit matrimonium sic dictum civile, in casu quo matrimonialis contractus ab auctoritate civili omnino recusatur, e.g. ob defectum instrumentorum, quae lex civilis requirit¹¹. Incommodum relativum sufficit ut forma adhibeatur extraordinaria. Si re desit grave incommodum, matrimonium forma extraordinaria initum est nullum, nec sufficit subiectiva opinio, ignorantia vel falsa existimatio, ne quidem si error esset invicibilis et excusabilis¹². Forma extraordinaria tamen valet si assistens haberi vel adiri nequit sine gravi incommodo, etsi materialiter praesens est in loco¹³, non autem si proprio parochus absente contrahentes facilius alium adire queunt parochum. Partes non sunt obligandae ut iter sumptuosum vel periculosum faciant¹⁴. Valet forma extraordi-

ma, 1961[2]), 133-136, hic: 134; V. HEYLEN, *Tractatus de matrimonio*, Mechlina 1945 (9), 270; P. GASPARRI, *Tractatus canonicus de matrimonio*, vol. II (Città del Vaticano, 1932), n. 1008, p. 137-138; cf. A. SZENTIRMAI, *De applicatione can. 1098 in peculiari-bus quibusdam adiunctis*, in *Periodica* 52 (1963) 164-174, nom. 166-169.

¹¹ SC. DE SACRAMENTIS, *Responsum* 24 apr. 1935, in *Enchiridion canonicum* (Roma 1963), 291-192.

¹² Cf. c. MASALA, sent. cit. (cf. nt. 9), 628-629.

¹³ PONT. COMMISSIO CIC AUTHENTICE INTERPRETANDO, *Responsum*, 25 iulii 1931, in *AAS* 23 (1931) 388.

¹⁴ C. SARTORI, B. BELLUCCO, *Enchiridion canonicum* (cf. nt. 11), 290. J. BÁNK, *Connubia canonica* (Roma 1959), 483 in nota: «Debent tamen parochum vicinum adire, usquedum hic aditus non constituat 'grave incommodum' (10-15 km)»; R. BIDAGOR, *De forma extraordinaria celebrationis matrimonii in casus singulares*, in *Monitor Ecclesiasticus* 80 (1955) 449-472; hic: 471: «... pauca quaedam Kilometra (10 aut 15 Km.) non videntur constituere distantiam talem, quae grave incommodum gignat ea percurrere».

naria etiamsi facultas assistentem competentem adeundi tempore opportuno culpabiliter neglecta est¹⁵.

Haec forma adhibetur cum matrimonium secundum leges civiles concludi nequit atque leges istae ministros Ecclesiae gravibus poenis abhorrent a celebratione¹⁶. Prohibita est coniugii celebratio religiosa nisi praecedet matrimonium civile in nationibus tunc marxistis et in aliis terris, uti sunt Belgio, Gallia¹⁷, Germania, Hollandia, Helvetia, Argentina, El Salvador, Uruguay et Venezuela, secundum quod scripsit P. Ciprotti. In Germania autem abrogata est sanctio poenalis quacum legis observantia urgebatur, ut refert idem auctor¹⁸.

S.C. de Propaganda Fide iam ante codicis anni 1917 promulgationem de hac materia responsa dedit. Anno 1785 respondit haec Congregatio matrimonium valide ac licite contrahere posse *coram solis testibus*

¹⁵ V. HEYLEN, *Tractatus de matrimonio* (cf. nt. 10) 270.

¹⁶ Cf. series responsionum Pontificiae Commissionis CIC Authentice Interpretando ad c. 1098 CIC 1917, d.d. 10 nov. 1925; 10 mart. 1928; 25 iuli 1931; 12 apr. 1933; 24 apr. 1935; 3 mai 1945, in C. SARTORI, B. BELLUCO, *Enchiridion canonicum* (cf. nt. 11) 289-292.

¹⁷ «Le bénéfice de ces diverses interprétations [Pont. Comm. Interpretationis CIC] peut être invoqué en France où la loi du 8 avr. 1802, art. 54 dispose que le mariage civil doit être célébré le premier, et où les art. 199 et 200 du Code pénal punissent le ministre du culte qui n'aura pas respecté l'obligation de cette antériorité. Lors donc que des époux se heurtent à l'impossibilité de célébrer leur mariage devant l'officier de l'état civil, alors que la loi ecclésiastique les admet à contracter, ils peuvent se marier simplement devant deux témoins, en la forme prévue par le can. 1098, pour éviter toute poursuite contre le ministre du culte» (R. NAZ, *Mariage en droit occidental*, in IDEM. (ed.) *Dictionnaire de droit canonique*, vol. VI, Paris 1957, col. 772).

¹⁸ P. CIPROTTI, *Il matrimonio religioso nelle legislazioni civili*, in *Monitor Ecclesiasticus* 105 (1980) 85-101, nom. 88-90.

vere pauperes qui lege civili coram magistratu contrahere deberent 50 florenos solventes, si eadem lex sub poena 500 florenorum parochum praecipiebat ne assisteret¹⁹.

In aliis adiunctis quidam christifidelis contraxit forma extraordinaria qui antea invalidum civile inibat matrimonium et divortium aut nullitatis decretum obtinere nequivit. Cum lex civilis nullum novum coniugium ei permisit, forma extraordinaria usus est²⁰.

In aliquibus dioecesibus lex particularis vetat matrimonium christifidelium qui praeparationem ad matrimonium ineundum per quattuor menses non absolverunt nec permittit ministris ut his matrimoniis assistant. Quae lex est invalida. Ordinarius loci tantum in casu peculiari, gravi de causa eaque perdurante matrimonium vetare potest (c. 1077, § 1). Auctores opinantur coniuges, pro quibus hoc tempus praeparationis revera grave constitueret incommodum, in forma extraordinaria contrahere posse²¹.

Non desunt canonistae qui opinantur Ordinarios matrimonia mixta «pro semper» impedire non posse ne in casu quidem quo pars catholica promissiones praescriptas praestare noluit, cum ius contrahendi praevaleret. Cui opinioni respondendum una ex parte

¹⁹ Quae refert P. GASPARRI, *Tractatus canonicus de matrimonio*, vol. II (Città del Vaticano 1932), 135-136.

²⁰ E. GARCÍA, *Cases and inquiries: extraordinary form of marriage*, in *Boletín Ecclesiástico de Filipinas* 63 (1987) 226-227 (cit. in: *Canon Law Abstracts* nr. 59 (1988/1) 56).

²¹ R. CREWSE, *The wait to get married*, in *Homiletic and Pastoral Review* nr. 6 (1985), 61-64; J. FARRAHER, *Does canon law allow delaying weddings for some months?*, in *ibid.*, nr. 10 (1985), 71 (summarium horum articulorum invenitur in *Canon Law Abstracts* 55 (1986/1) 69 et 56 (1986/2) 59).

videtur canonem 1060 veteris codicis recolens: «...si adsit perversionis periculum coniugis catholici et prolis, coniugium ipsa etiam lege divina vetatur». Hic refertur ad obligationem pro posse catholice baptizandi et educandi universam prolem²². Altera ex parte videtur homini coniugium eligenti quo periculum fidei eius constituatur, iura eius naturalia denegari non posse: «Sed distinguere oportet inter errorem, semper reiciendum, et errantem, qui dignitatem personae iugiter servat...» (GS 28). «...neque impediendus est, quominus iuxta suam conscientiam operetur, praesertim in re religiosa» (DH 3). Ad rem tamen pro multis saltem casibus provisum est cum matrimonii formae canonicae obligatio ablata sit eorum qui actu formali ab Ecclesia defecerint (c. 1117). Ius contrahendi non aufert Ordinarius qui licentiam mixti matrimonii contrahendi non concedit in casu quo coniuges promissiones non faciant; hoc ius pro christifidelibus catholicis tantum circumscribit ut tueatur legem divinam. Pars catholica tantum rogatur ut pro posse obligationi fidei suae satisfaciat. Qua de causa forma extraordinaria adhiberi non posse videtur, cum loci Ordinarius deneget licentiam matrimonium mixtum contrahendi nisi condiciones lege canonica positae adimpleantur (cf. c. 1125).

Non admittitur matrimonium ob rationes oeconomicas forma extraordinaria contractum validum esse, nisi gravia damna patiuntur coniuges quia vere pauperes sunt. Congregatio de sacramentis anno 1917

²² Cf. SC. S. OFFICII, *Responsum* die 22 dec. 1949, in F.X. OCHOA, *Leges Ecclesiae*, vol. II (Roma, 1969, nr. 2093: «firma semper et integra manente gravi legis naturalis et positivae obligatione catholice baptizandi et educandi universam utriusque sexus prolem»).

respondit quaesito: «An admitti possint ad celebrationem matrimonii mulieres, viris bello interfectis orbatæ, quæ, ne annua Gubernii pensione priventur, prætermittere volunt celebrationem matrimonii, ut aiunt civilis». Responsum est: «Non esse recedendum a praxi S. Congregationis, ideoque amissionem pensionis non esse *causam sufficientem* permittendi celebrationem matrimonii absque ritu civili. Quod si aliae habeantur circumstantiae, recurrendum in singulis casibus»²³. Pensionis amissio non constituit grave incommodum, nisi quid plus accedit, v.gr. si hæc amissio vere iniusta esset vel aliquem victu privaret²⁴.

Cum adiuncta, quæ grave incommodum constituunt, non dantur, forma extraordinaria *coram solis testibus* esset illicita et invalida²⁵.

Congregatio de disciplina sacramentorum commendavit ut instructionem facerent Ordinarii qua declararent quibus in locis usum formæ extraordina-

²³ Resolutio diei 2 iulii 1917, cit. in: R. BIDAGOR, *De forma extraordinaria...* (cf. nt. 14), 471.

²⁴ Cf. de hac re KL. LÜDICKE, *Münsterischer Kommentar zum Codex Iuris Canonici* (Essen, 1985ss.), c. 1116 nr. 6: «Generell nicht anerkannt wird in der Bundesrepublik eine Umgehung der konkordatären Vereinbarungen über die vorangehende Zivilehe in der Weise, daß die Ehe in der außerordentlichen Form des 1116 geschlossen würde, um den Verlust einer Rente oder eine Studienförderung aufgrund der Zivilheirat zu vermeiden (...). Die Begründung liegt für die Bundesrepublik Deutschland darin, daß in finanziellen Verlusten kein schwerer Nachteil für die Brautleute gesehen wird, da sie bei Verluste einer der beiden Renten nicht einkommenslos werden und der wirtschaftliche Nachteil durch Vereinbarung zwischen Kirche und Staat ausdrücklich nicht als Rechtfertigungsgrund für die kirchliche Eheschließung ohne Zivilheirat anerkannt ist».

²⁵ De hoc casu videas P. GASPARRI, *Tractatus canonicus de matrimonio* (cf. nt. 10), 141.

riae validum esset ac licitum «tum accedente penuria in dies graviore sacerdotum et diaconorum, tum increbrescente populi frequentia a sede paroeciali et a parochi domicilio longius commorantis, atque deficientibus vel difficilibus exstantibus com meatibus»²⁶.

b. *Testium praesentia*

Requiritur praesentia duorum testium (cc. 1116, § 1; cf. c. 1108, § 1), nisi super forma dispensetur. Nullam peculiarem testium qualitatem expostulat codex. Sufficit ergo ut revera testes esse possint, i.e. ut sciant consensum praestari deque hoc facto testimonium reddere possint. Valide fungitur munere testis qui, quamvis non praemonitus de illo munere suscipiendo, de consensu testatur²⁷. Exclusi sunt, ut patet ex natura rei, qui non habent usum rationis.

Cum communistae non iam dominabantur, Sinen sibus locorum Ordinariis facultas data est dispensandi a forma matrimonii in casibus verae necessitatis, ne testium quidam ad contractus validitatem indigeant²⁸. In periculo mortis valent quae infra dicuntur. In matrimoniis mixtis si graves obstant difficultates, Ordinario loci partis catholicae a forma canonica ius est dispensandi, salva autem ad validitatem aliqua publica forma celebrationis (c. 1127, § 2).

²⁶ Instr. *Ad Sanctam Sedem*, pro celebratione matrimonii coram solis testibus in casibus particularibus, 7 dec. 1971, in *Enchiridion Vaticanum* 4 (Bologna, 1980[11]), nr. 1338-1344, textus citatus in no. 1341.

²⁷ S. ROTA ROMANA, c. SEBASTIANELLI, 17 febr. 1917, in *AAS* 9 (1917), 504; V. HEYLEN, *Tractatus de matrimonio* (cf. nt. 10), 244-245.

²⁸ Responsa SC. CONCILII 1908 et SC. DE PROPAGANDA FIDE 1933, videas *Enchiridion canonicum* (cf. nt. 11), 291.

Die 31 ianuarii 1916 S.C. de Sacramentis respondit sequenti dubio: «An et quomodo providendum sit, si lex civilis prohibet quominus parochi fidelium matrimonii assisterent, nisi praemisso matrimonio civili, quod non semper praemitti potest». Et responsum fuit: «Recurratur in singulis casibus, excepto casu periculi mortis in quo quilibet sacerdos dispensare valet etiam ab impedimento clandestinitatis, permitiendo ut in relatis adiunctis matrimonium coram solis testibus valide et licite contrahatur»²⁹. Quae Congregatio die autem 31 martii 1916 iam scripsit in singulis casibus non recurrendum esse³⁰. Qua re aliqui auctores tenebant sacerdotem etiam extra mortis periculum dispensare posse a forma «gravissimis de causis». Quod «potius quam vera dispensatio, declaratio esset legem de forma ab Ecclesia praecepta non esse urgendam ob moralem impossibilitatem eandem servandi...»³¹. In rarissimis adiunctis valide contrahent coniuges nullo teste praesente, nullaque dispensatione super forma concessa. Scripsit ad rem card. P. Gasparri: «Si forma substantialis iure praescripta pro matrimonii celebratione de qua huc usque, servari non potest sine gravi incommodo, cessat obligatio eandem servandi; et, eadem non servata, matrimonium est validum et licitum, quia in casu forma substantialis opponeretur iuri naturali ad matrimonium, in quo conflictu ius naturale praevalere debere, palam est (...) ...si servari non potest sine gravi

²⁹ Cit. apud. P. GASPARRI, *Tractatus canonicus de matrimonio* (cf. nt. 10), 140, n. 1015.

³⁰ «Ordinarius recurrere non dedignetur in singulis casibus iuxta decretum editum ab hac S. Congregatione die 31 ian. 1916» (in *AAS* 8, 1916, 37).

³¹ C. PALESTRO, 19 febr. 1986, in *DSRR* 78 (1986) 106; cf. 105.

incommodo quoad praesentiam tum sacerdotis competentis tum aliorum testium, obligatio penitus cessat»³². Hoc accideret si nupturientes secus semper aut diutissime a matrimonio contrahendo abstinere deberent, quod re raro evenit³³. Communistarum regimine Sinae instaurato, S. Officium declaravit christifideles matrimonii forma sive ordinaria sive extraordinaria, impedimentisque iuris ecclesiastici a quo Ecclesia dispensare solet, non teneri. Quod decretum habet indolem interpretationis declarativae «quatenus versatur circa iuris positivi praescripta quae, consideratis circumstantiis extraordinariis territorii observari non possunt». Pro casibus in quibus leges positivae observari non possunt, decretum praebet enuntiationem principii secundum quod leges mere ecclesiasticae non obligant tanto cum incommodo, ideoque decretum et «ad alia territoria applicari» potest³⁴. In casu necessitatis ergo ne testium quidem praesentia requiritur et ab omni forma excusatur contrahens.

Etiam in casibus in quibus matrimonium in forma canonica contrahi nequit cum certitudo moralis de nullitate unionis antecedentis unius ex coniugibus in foro interno tantum hauriri possit non autem in foro ecclesiastico, aliquando adhibetur idem adagium se-

³² P. GASPARRI, *Tractatus canonicus de matrimonio* (cf. nt. 10), 134, nr. 998.

³³ Cf. V. HEYLEN, *Tractatus de matrimonio* (cf. nt. 10), 269 (citans P. CHRETIEN, *Praelectiones de matrimonio* (Metis 1937 [2]), 137).

³⁴ SC. S. OFFICII, *Responsum*, die 27 ian. 1949 et die 22 dec. 1949, in F.X. OCHOA, *Leges Ecclesiae* (cf. nt. 22), 2563, n. 2021; 2659, n. 2093. Excepta sunt, secundum explanationem patris F. Hürth de mandato S. Officii, impedimenta sacri ordinis presbyteratus et affinitatis in linea recta!

cundum quod lex ecclesiastica non obligat tanto cum incommodo. Consensus naturaliter validus in casu sufficiens est, nullaue forma requiritur. De his casibus autem scripsit mons. M.F. Pompedda: «... nella realtà una simile eventualità [è] tanto rara da potersi considerare come praticamente mai verificantesi»³⁵. Si de prioris matrimonii nullitate aut solutione legitime et certo non constet, in forma extraordinaria contrahere sponsis lege canonica non licet (c. 1085, § 2)³⁶.

c. *Consensus*

Si nullus adsit sacer minister, contrahentes formam extraordinariam adhibeant, quae in canone 1116, § 1 describitur, duobus ergo adductis testibus. Qui in istis rerum condicionibus versantur, raro hanc cognoscunt formam extraordinariam.

Si autem quocumque modo nupturientes animum exprimunt maritalem, duobus testibus praesentibus, videntur impleri condiciones quibus forma extraordinaria matrimonium ineunt, quia validitas matrimonii non pendet a ritu; nec requiritur ut coniuges sciant se valide contrahere, quia «scientia aut opinio nullitatis matrimonii consensum matrimonialem non necessario excludit» (c. 1100). Ad validatem contractus quod attinet, sufficit ut intendant «verum matrimonium inire» (c. 1116, § 1) qui iure matrimonii forma extraordinaria uti possint³⁷.

³⁵ «La questione dell'ammissione ai sacramenti dei divorziati civilmente risposati», in IDEM, *Studi di diritto matrimoniale canonico* (Milano 1993), 506; cf. J. HENDRIKS, *Huwelijksrecht* (Brugge 1995), 222.

³⁶ Cf. *Communicationes* 10 (1978) 94.

³⁷ Haec verba c. 1116 deerant in c. 1098 veteris codicis; introducta sunt ut vitetur casistica nimis tortuosa, videas *Commu-*

d. *In periculo mortis*

Urgente periculo mortis loci Ordinarius vel etiam sacerdos vel diaconus, si loci Ordinarius adiri non possit, plane dispensare potest super forma servanda (c. 1079, §§ 1-2); ne testium praesentia quidem hoc in casu requiritur. Impedimenta quae iuris divini non sunt, urgente mortis periculo dispensare valeat sacerdos vel diaconus qui loci Ordinarium adire non possit, impedimento ex ordine presbyteratus emanato tamen excluso (c. 1079, § 2). Mortis periculum est «si sit vera et gravis probabilitas seculariae mortis»³⁸. Causa mortis periculi provenit sive morbo, sive causa extrinseca v. gr. proelio, partu difficili, capitali damnatione, operatione chirurgica. Facultas dispensandi exerceri potest etiamsi valeat pars quae impedimento teneatur, compars eius autem in mortis periculo sit constitutus³⁹. Periculum mortis «est moraliter aestimandum»⁴⁰. Valet dispensatio si minister prudenter aestimat urgens adesse periculum mortis, etsi v. gr. medicus postea fortasse iudicet aegrotantis condicionem esse meliorem⁴¹. Urget mortis periculum si tempus probabiliter non sufficiat ut sacerdos

nicationes 10 (1978) 95-96; cf. J. MARTINEZ-TORRON, *La valoración del consentimiento en la forma extraordinaria del matrimonio canónico*, in *Revista Española de Derecho Canonico* (1984) 431-458.

³⁸ P. GASPARRI, *Tractatus de matrimonio*, (cf. nt. 10), vol. I, 231.

³⁹ Quod patet responso S. Officii, die 1 iulii 1891, videas *ibid.*, vol. II, i.l.; V. HEYLEN, *Tractatus de matrimonio* (cf. nt. 10), 658.

⁴⁰ P. GASPARRI, *Tractatus de matrimonio* (cf. nt. 10), vol. I, 231.

⁴¹ T. VLAMING, L. BENDER, *Praelectiones iuris matrimonii ad normam Codicis Iuris Canonici* (Bussum 1950), 298.

vel diaconus adeat loci Ordinarium, mediis utens ordinariis (cf. c. 1079, § 4). His in casibus, dispensatione super forma et impedimentis obtenta, sufficiunt elementa quae iure divino requiruntur ut valide contrahatur matrimonium.

Dispensatione concessa, minister sacer qui eam largitus est loci Ordinarium statim certiore faciat. Dispensatio adnotetur in libro matrimoniorum (c. 1081). Notandum tamen est formam extraordinariam adhiberi posse etiamsi periculum mortis, quod semper adsit oportet, non urgeat. Nec requiritur ut rerum condicio, qua assistens sine gravi incommodo haberi vel adiri nequeat, sit duratura per longius tempus. Ut forma extraordinaria adhibeatur sufficiat ut unus contrahentium sit in periculo mortis constitutus et hic et nunc assistens sine gravi incommodo haberi non possit. De cessatione impedimentorum a quibus nequaquam potest dispensari, videas supra.

e. *Extra mortis periculum*

Extra mortis periculum forma extraordinaria contrahere valent qui habere vel adire nequeunt assistentem sine gravi incommodo, «dummodo prudenter praevideatur earum rerum condicionem esse per mensem duraturam» (c. 1116, § 1, no. 2). Nec sufficit nec exigitur menstrua assistentis iam absentia, ut forma extraordinaria adhibeatur⁴². Quae menstrua absentia, decreto *Ne temere* anni 1907 postulata, in codice anni 1917 non iam habetur⁴³. Canon 1098 illius codicis verbis utitur quae pariter habet vigens canon 1116, § 1 no. 2.

⁴² C. MASALA, sent. cit. (cf. nt. 9), 629.

⁴³ SC. CONCILII, Decr. *Ne temere*, 2 aug. 1907, DENZ. 3471.

Agitur hic de praevisione temporis futuri, quae «inniti debet in iudicio moraliter certo, non ex inopinatis et ex extraordinariis, sed ex iis quae fieri assolent, vel 'ex notorio vel ex inquisitione' formato»⁴⁴. Communior sententia affirmat sufficere rerum conditionem obiectivam, qua morali certitudine assistentis absentiam vel impedimentum praevideri possit, nec requiri semper iudicium personaliter formatum a coniugibus vel matrimonium parantibus⁴⁵.

Futura prospiciens, morali certitudine prudenter iudicatur assistentem saltem per mensem haberi vel adiri non posse sine gravi incommodo. Ut hoc iudicium recte feratur, rerum ac personarum adiuncta pro rei gravitate accurate ponderentur. Non est exigenda scrupulosa inquisitio. Si prudens praevisio postea evadat erronea, matrimonii validitas haud afficitur⁴⁶. Non obstat matrimonii validitati si parochus vel alius assistens inopinato modo citius revertitur. His dictis *moralem* certitudinem exigentibus, in iurisprudencia rotali aliquo modo respondetur disceptationi quam habebant auctores de interpretatione subiectiva vel obiectiva huius criterii requirenda⁴⁷.

Quae cum ita sint, valide contrahant matrimonium forma extraordinaria qui in rerum condicione versantur quae prudenter iudicanti correspondere videtur canonis 1116 praescriptis.

⁴⁴ C. MASALA, sent. cit. (cf. nt. 9), 629; V. HEYLEN, *Tractatus de matrimonio* (cf. nt. 10), 274; PONT. COMMISSIO INTERPRET. CIC, 10 nov. 1925, in AAS 17 (1925) 583.

⁴⁵ Cf. R. BIDAGOR, *Circa interpretationem canonis 1098 CIC*, in *Monitor Ecclesiasticus* 78 (1953) 473-488, nominatim 480-485.

⁴⁶ C. MASALA, sent. cit. (cf. nt. 9), 629.

⁴⁷ De interpretatione subiectiva vel obiectiva videas J. BÁNK, *Connubia canonica* (cf. nt. 14), 485-488.

Nupturientibus opus non est permissio parochi vel alterius auctoritatis ut formam adhibeant extraordinariam. Sufficit ut impleantur canonis condiciones.

Necesse non est ut contrahentes sciant in Ecclesia extraordinariam matrimonii formam existere. Qui consensum emittunt naturaliter sufficientem, canonis codicis condicionibus adimpletis, valide contrahant forma extraordinaria. Standum est pro valore matrimonii (c. 1060) quod celebratur v. gr. coram magistratu civili, si coniuges in rerum condiciones versentur, quam spectet canon 1116, etsi partes nesciunt hoc coniugium agnoscere ab Ecclesia⁴⁸. Qui de validitate iudicat horum matrimoniorum, inspicere debet contrahentium voluntatem. Impedimentis dirimentibus non obstantibus, praesentibus testibus, matrimonium validum est eorum qui verum praestant matrimonialem consensum. Forma qua matrimonium contractum est (v. gr. coram magistratu civili, in domo privata; verba quibus consensus expressus est) his in casibus validitati non obstat. Immo, falsa opinio matrimonii nullitatem tenens, non impedit quin contractus valeat. Qua de causa matrimonium civile valet si condiciones impleantur quibus forma extraordinaria contrahi possit. «Cum igitur condiciones, quas Ecclesia in dato casu exigit ut validum sit matrimonium absque adstantia testis qualificati, verificentur, solutio repetenda est ab eo quod partes voluerunt, utrum scilicet consensus fuerit naturaliter sufficiens necne (...) Enimvero cum ex iis quae Ecclesia in hisce adiunctis requirit, nihil desit, contrahentium voluntas ipso facto effectum suum consequitur. Nec validitati obstat quod contrahentes errant, existimantes non valere coram

⁴⁸ P. FELICI, *De forma matrimonii...* (cf. nt. 10), 136.

Ecclesia matrimonium ita coram magistratu civili initum...»⁴⁹.

4. Quid requiritur «ad liceitatem» ut forma extraordinaria adhibeatur?

Altera paragraphus canonis 1116 condiciones ponit matrimonio forma extraordinaria contracto sive in periculo mortis sive extra mortis periculum, quae liceitatem tantum tangunt:

«In utroque casu, si praesto sit alius sacerdos vel diaconus qui adesse possit, vocari et, una cum testibus, matrimonii celebrationi adesse debet, salva coniugii validitate coram solis testibus».

Sacerdos vel diaconus vocetur et adsit, si possit ut simul cum testibus matrimonio intersit. Invitandus est sacerdos vel diaconus qui adest in loco, non autem qui difficilius praesens esse potest. Ille clericus gaudet facultate dispensandi de qua in canonibus 1079 (in periculo mortis) et 1080 (cum iam omnia sunt parata ad nuptias). Decet omnino, non autem requiritur ut consensus manifestationem exquirat contrahentium. Si nupturientes liberi sunt ab impedimentis, praesentia sacerdotis vel diaconi nihil refert quoad matrimonii validitatem.

Sacerdos vel diaconus qui matrimonii celebrationi in forma extraordinaria interest, vel — eis absentibus — testes in solidum cum contrahentibus, tenentur parochum aut Ordinarium loci de inito coniugio quam primum certiore reddere, ut statuit canon 1121, § 2. Matrimonium contractum adnotetur in registis matri-

⁴⁹ Cf. C. JULLEN, 7 dec. 1931, cit. apud c. MASALA, sent. cit. (cf. nt. 9), 629-630, n. 7; ad rem videas insuper J. BANK, *Connubia canonica* (cf. nt. 14), 488-490; L. BENDER, *Valor actus, ut aiunt, civilis in casibus qui a c. 1098 reguntur*, in *Monitor Ecclesiasticus* 80 (1955) 106-119; *Communicationes* 10 (1978) 95.

moniorum ac baptizatorum (cc. 1121, § 1; 1122, § 1).

In iure orientali statuitur sacerdotem esse vocandum, si praesto est, ut matrimonium benedicat (CCEO c. 832, § 2); alioquin postea a sacerdote petant matrimonii benedictionem oportet (§ 3). Quae ad liceitatem tantum requiruntur.

Cum desit matrimonii celebrationi in forma extraordinaria «signum quodvis nuptiarum indolem sacram et religiosam ostendens», congregatio de disciplina sacramentorum anno 1971 instructionem publici iuris fecit, qua, ut celebrationes hae fructuosiores evaderent, commendatur assignatio laicorum qui catechesim celebrationi nuptiarum praevidam tradant, munere fungantur unius ex duobus testibus et debita forma documentum matrimonii celebrationis conficiunt⁵⁰.

De ceremoniis matrimonii in forma extraordinaria celebrandi, hodie nihil statuitur ne ad liceitatem quidem⁵¹.

5. Aliquae conclusiones practicae

In coetu commissionis codici iuris canonici recognoscendo membra de abusu formae extraordinariae disceptaverunt. Admittebant matrimonia haud pauca clandestina contrahi, «maxime, sed non unice, in illis regionibus ubi lex civilis poena plectit ministrum religionis, qui assistit celebrationi matrimonii religiosi antequam matrimonium civile locum habuerit». Et alia incommoda formae extraordinariae pro oculis

⁵⁰ Instr. *Ad Sanctam Sedem*, in EV 4/1338-1344; textus citatus in no. 1339; de laico ad hoc munus parato, videas nn. 1342-1344.

⁵¹ Cf. autem P. GASPARRI, *Tractatus de matrimonio* (cf. nt. 10), vol. II, 139 (de epistola S.C. de Prop. Fide anni 1830 quae etiam modum indicat contrahendi).

habebant per totum iter codicis recognitionis. Varia proponebant verba in canonem inserenda ut haec praecaverent incommoda; omnes autem latas condiciones reiciebant consultores. «Tantopere enim urget ius matrimonium certo validum contrahendi, ut propter abusus formae extraordinariae, ne graves quidem, incertum reddi nequeat»⁵².

Qua de causa re nihil innovatum est. Qui vere intendunt contrahere matrimonium et in condicionibus versantur, quas enumerat canon 1116 quasque nuper explicavimus, valide contrahunt, etsi formam extraordinariam haud cognoverunt.

Responsum pontificiae commissionis codici iuris canonici authentice interpretando anni 1984 statuit investigationes praematrimoniales ad normam canonum 1066-1067 sufficere posse si tantum contraherent matrimonium civile qui forma deberent contrahere canonica⁵³. Remanet autem his in casibus quaestio maximi momenti num revera forma ordinaria ligati essent necne, cum semper constare debeat «... nihil... validae ac licitae celebrationi obsistere» (c. 1066). Peculiari modo attendatur oportet rerum condicio si forma civili consensum praestarent nupturientes. Si impletae erant condiciones canonis 1116, valide contrahebant, etsi fortasse aliquo modo in fraudem iuris hac forma uti sint⁵⁴.

Aliquibus in nationibus, quae matrimonium religiosum interdicit nisi praecesserit connubium civile, gravibus incommodis oeconomicis puniuntur qui ma-

⁵² *Communicationes* 3 (1971) 80-81 (verba cit. in p. 80); 8 (1976) 50-53, nom. 51-52; 10 (1978) 94-95.

⁵³ AAS 76 (1984) 746-747.

⁵⁴ Cf. SIGNATURA APOSTOLICA, *Letter to the bishop of Mainz*, 10 maii 1976, in *Canon Law society of Great Britain and Ireland - Newsletter* nr. 75 (1988) 48-50.

trimonium contrahunt civile, quae onera non gravant libere conviventes. Qui hanc ob rem matrimonium inire nolunt civile, valide contrahere tamen possunt forma extraordinaria. Non omne incommodum oeconomicum autem sufficit ut valide hac forma uti possint contrahentes. Ponderetur oportet num revera eis nupturientibus grave constituat incommodum.

Apostolica adhortatio *Familiaris consortio* 82 de catholicis qui «solum civile matrimonium contrahere malint, reiecto vel saltem dilato religioso» statuit: «... Ecclesiae pastoribus, pro dolor, non licet eos ad sacramenta admittere»⁵⁵. Qua de causa, ut ad sacram communionem aliaque sacramenta admittantur qui per matrimonium civile in forma extraordinaria contraxerint, eorum matrimonium rite in Ecclesiae regestis adnotetur oportet.

Si forma adhibeatur extraordinaria, ut valeat matrimonium, super impedimentis, si adsint, dispensetur oportet. Tantum in adiunctis omnino extraordinariis dici potest impedimenta ecclesiastica cedere. Qui obligationi dispensationem impetrandi satisfacere nequit per longum tempus, non tenetur impedimentis dispensabilibus, cum praevaleat in casu ius naturale ad matrimonium contrahendum⁵⁶.

JAN HENDRIKS

⁵⁵ P. IOANNES PAULUS II, Ap. adh. *Familiaris consortio*, 22 nov. 1981, in AAS 73 (1981) 81-191, hic 183, nr. 82; cf. J. HENDRIKS, *Ad sacram communionem ne admittantur...* . *Adnotationes in can. 915*, in *Periodica* 79 (1990) 172; IDEM, «Non siano ammessi alla sacra comunione...», in *Quaderni di Diritto Ecclesiale* 5 (1992) 199.

⁵⁶ F.M. CAPPELLO, *Tractatus canonico-moralis de sacramentis*, vol. III De matrimonio (Taurini 1939 [4]), n. 692; P. CHRETIEN, *Praelectiones de matrimonio* (Metis 1937 [2]), 173.